Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

# Promptuarium allegoriarum sacrarum praecipua fidei christianae capita illustrantium: indice quadruplici instructum post editiones 5 revisum, iam septimo recusum

Botsack, Johann

Francofurti ad Moenum, 1678

Caput IIX. De praedestinatione, et voluntate dei, [...]

urn:nbn:de:bsz:31-142795

Visual Library

# CAPUT IIX.

# DE PRÆDESTINATIONE, ET VOLUNTATE DEI, circa hominum ſalutem.

## *PRÆDESTINATIO CUM SCRIPTIONE comparatur.*

418. Dan.12.v.1. *Salvabitur populus tuus omnis, qui inventus fuerit, ſcriptus in libro*, hoc eſt, electus. Electio ergò ſcriptio quædam eſt.

1. *Scribens* ipſe Deus eſt, Exod.32,32. Eſa.49,16. Eligens nos ante jacta mundi fundamenta, Eph.1.v.4.

2. *Atramentum vel color*, ſanguis Chriſti eſt & aqua, Joh.19.verſ.34. quâ expunctum Chirographum Coloſſ.2,14. nomina noſtra in cœlis ſcripta, Luc.10. v.20. Hebr.12.v.23. In Chriſto enim eligimur, Eph.1. v.4. in fide, Joh.6.v.47. 2.Theſſ.2.v.13. Jac.2.v.5.

3. *Charta eſt manus* Dei, in hac notati ſumus, Eſa. 49.v.16. In hac omnes ſancti. Deut.33.v,3. nemo eripiet ex illa, Joh.10.v.29.

4. *Digitus eſt Spiritus Sanctus*, cujus motu ſcribimur, 2.Tim.2.v.19. Sive

5. *Vaſa*, ex quibus color ille petitur, ſunt Chriſti vulnera. Ex his & in his ſcribimur.

6. Sigillum, confirmans hanc ſcriptionem eſt

1. Notitiæ & miſericordiæ Dei univerſalis & paternæ Ezech.33.v.11. Joh.3.v.16. Rom.11.v.32. 1.Timoth.2,4. 2.Per.3,9. 2.Tim.2.v.19. *Firmum fundamentum Dei ſtat, habens ſignaculum hoc: Novit Deus, qui ſunt ejus.*

2. Veritatis indubiæ Dei: hâc enim velut ſigillô men-

mentes noſtræ confirmãtur, Deum velle omnium hominum ſalutem. Hoc ſigillum adulterant, qui Deo duplicem voluntatem aſſignant: *ſigni & beneplaciti*, quâ veritas Dei tollitur, Deo hypocriſis affingitur, aliter loquenti in verbo; aliter ſentienti in corde. Diſperde has linguas, ô ſinceriſſime Domine, quæ tibi neque loquenti, neque juranti, fidem habent!

3. Liberationis univerſalis & œcumenicæ. Omnes enim liberavit Chriſtus Eſa. 53. v. 16. Joh. 3. v. 16. cap. 1. v. 29. 1. Tim. 2. v. 6. Hoc univerſale meritum eſt firmiſſimum ſigillum, ex quo quilibet fidem ſuam confirmare poteſt.

4. Vocationis univerſalis. Matth. 11, v. 28. 1. Tim. 2, 4. Cum ergò audimus, electos eſſe homines in Chriſto, cum hanc ſcripturam legimus, fluctuamusque de noſtri inſcriptione in librum vitæ, non eamus ad tabulas Parcarum & Stoicum Calvinianorum decretum; ſed hoc quadruplex conſideremus ſigillum.

## CHRISTUS HABET LIBRUM vitæ.

419. Apocal. 10, 2. *Johannes vidit angelum habentem librum in manu apertum, qui in eo ſuos ſignavit.* Angelus ille Chriſtus eſt, habens librum apertum, quia ille omne patris conſilium nobis enarravit, Joh. 1. v. 18. Triplex ille liber eſt

1. *Providentiæ*, Pſal. 139. v. 16. Apoc. 5. v. 1.

2. *Sententiæ* ultimæ, nempe in judicio. Daniel. 7. v. 9. 10. Apoc. 20. v. 12. ferendæ.

3. *Vitæ*. Dan. 12, 46. Pſ. 69, 29. Phil. 4, 3. Apoc. 3, 5. cap. 17. v. 8. cap. 21. verſ. 27. In hoc vitæ libro ſignavit ſuos Chriſtus Eſa. 49. v. 16. quos novit 2. Tim. 2. v. 19. Hinc liber vitæ agni Apoc. 13. v. 8. cap. 21. v. 27. dicitur. Imò ipſe agnus, vitæ liber eſt, ſcriptus

1. *In*

1. *In pelle virginea*, in camera virginis glorioſæ, digitis Spiritus Sancti, in admiranda conceptione. Luc.1.v.35.

2. *Dictatus in patris diſpoſitione*. Pſ.40. v.8.9. Eſa. 53. v.11. *Voluntas Domini in manu ejus dirigetur*.

3. *Expoſitus* in nativitatis manifeſtatione, Luc.2. v.10. Annuncio vobis gaudium magnum, venturum omni populo.

4. *Correctus* in paſſione, noſtra peccata expuncturus. Coloſſ.2.v.14. per Judæorum criminationes & falſas accuſationes: correctus ſcilicet, qui ſemper fuerat rectus. Joh.8.v.46.

5. *Raſus* in paſſione, noſtra flagitia è libro Dei deleturus, Coloſſ.2.v.14. Rom.4.v.ult.

6. *Punctatus* in vulnerum infixione, noſtra vulnera curaturus Pſal.103.v 3. diſputatus in aſcenſione. Quis eſt ille, qui venit de Edom? mirantibus angelis.

7. *In crucis pulpito expoſitus*, utroque brachio diſtentus. Vide paſſionis hiſtor. Leget in hoc libro *ſuperbus* humilitatem in capitis inclinatione; *avarus* liberalitatem in manuum extenſione; *invidus* charitatem in lateris apertione; *dives* pauperiem ſpiritualem, in corporis totius denudatione; *guloſus* abſtinentiam in fellis acetiq; potatione: alius legat alia, quisque ſibi proficua: Ita quondam de hoc libro Veteres.

8. *Illuminatus* in ſanguinis effuſione. Apoc.1,5.
1. In circumciſione.
2. In paſſione in horto, Luc.22.v.44.
3. In flagellatione.
4. In crucifixione.

9. *Apertus in lateris apertione*, Joh,19.v.34.

10. *Clauſus in ſepulchri obſignatione*, Matth.27,66.

11. *Igni ſubjectus*, nec tamen combuſtus. Autor

eſt Cedrenus, in annalib. Græcis, Evangelii librum à Roſſis ardenti rogo impoſitum, temporibus Baſilii Imperatoris, precibus Epiſcopi, flam̃as multum contempſiſſe. Chriſtus liber ille vitæ flammis iræ Dei, peccati, furoris Satanici ſubjectus quidem in paſſione, exuri tamen non potuit, ſed ἄσβεςος fuit, ignem patrii furoris extinxit, dicens in cruce: Conſummatum eſt. Timeat ergò ignem infernalem nullus, qui huic libro inſcriptus.

## PRÆDESTINATIO EST IN LIBRUM vitæ inſcriptio.

420. *Qui relictus fuerit in Sion, & reſiduus in Jeruſalem, ſanctus vocabitur omnis, qui ſcriptus eſt in vita, in Jeruſalem.* Eſa.4,3. Quis *relictus in Sion?* niſi verâ fide Deo adhærens, & *reſiduus in Jeruſalem?* niſi qui de ſemine fidei, ex Deo natus? Joh.1,13. Eſa.1,9. Rom.9,29. Joel.2,32. Non enim omnes ſunt *de Jeruſalem*, qui ſunt *in Jeruſalem*. Atqui de *Jeruſalem militante*, ſcripti erunt in vita, in *Jeruſalem triumphante*, & ſancti vocabuntur, qui veram ſanctificationem fide apprehendent, ſalvabuntur. Dan.12.v.1. *Salvabitur omnis populus, ſcriptus in libro.*

## NON OMNES PRÆDESTINATI.

421. *Volebat Deus omnes terram promiſſam ingredi* Iſraelitas, *omnes* educebat, in *omnes* Manna depluebat: *Omnes* tamen in terram promiſſam, ut ingrederentur, non prædeſtinaverat. Non enim omnium fides erat. Hebr.3. v.19. quocirca eorum ἀπιςίαν præviderat Deus; quin potius Dominum tentabant, Pſal.95,9. Exacerbabant. Eſa.64,10. Ita Deus vult omnes vitam æternam ingredi, credere in filium. Joh.6,40. ad agnitionem veritatis pervenire, 1. Tim.2,4. Omnes quoq; homines, per mortem filii ſui, eduxit è ſpirituali inferni

ſerni Ægypto, 2.Corinth.5.v.15. in omnes verbi ſui Manna depluit. Matth.28.v.19. Omnes tamen non prædeſtinavit ad vitam, quia in Chriſto non ſunt, quia in fide non ſtant. Nemo autem in Chriſto eſt, niſi per fidem. Maxima verò pars humani generis tenebras magis, quam lucem, ex quâ fides, amat. Joh.3.v.16. & cœleſte verbi Manna faſtidit, ut Iſraelitæ.

## IN CHRISTO ELECTI.

422. Dan.1.v.3.4. *Nebucadnezar mandavit Aſpenæ præpoſito ſuo, ut introduceret, de filiis Iſrael, & de ſemine regio, pueros, in quibus nulla eſſet macula, decoros formâ.* Imago delectionis.

1. *Nebucadnezar* Deum patrem notat, totum genus humanum ſibi ut captivum habentem.

2. Ex hoc *genere quosdam (voluntate conſequente)* jubet introduci, qui vocantem non ſpreverunt, ſed fidei obedientes facti ſunt. *Præpoſitus hic eſt Dei filius*, in quo eligimur, Eph.1.v.4. Electi autem ſunt, qui de ſemine Iſrael ſpirituali ſunt. Rom.9.v.8. Joh.1.v.13. Galat.3.v.7. & regio. 1.Petr.2.v.9. qui ſine macula: Epheſ.5.v.27. decori formâ. At in ſolo Chriſto ſine macula, ſine deformitate ſumus, *hominum formoſiſſimô*, Pſal.45.v.3.

## CHRISTUS SOLUS ELECTOS ſignat ſibi, ex mundi fecibus.

423. Ezech.9.v.4. *Dominus præcepit viro linteis veſtibus amicto, ut transiret per mediam civitatem & ſignaret ſignum ſuper frontes virorum gementium, ob abominationes.*

1. *Chriſtus* eſt vir ille linteis humanitatis veſtibus amictus, iisdem mortuus involutus, Matth.27.v.59.

2. *Atramentarium* ſcriptoris ſuper renes ipſius: quia in ipſo, ut libro vitæ, ſcribimur. Apoc.13.v.8.

3. *Tranſit* ille per mediam mundi civitatem, regnô gratiæ ſuæ, voce verbi ſui. Mundum in malo jacere videt, 1.Joh.2.v.16. nec duci velle à Spiritu Dei. Gen. 6.v.3. Igitur paucos (pauci enim electi. Matth.20. v.16.

4. *Signat* Spiritu ſuô, ſanguine ſuô ſuper frontes, ut Iſraelitæ poſtes. Qui autem ſignari? non niſi, qui gemunt ob ſua peccata. Pſal. 6. v.7. mundi ſcandala.

## ELECTI IN HOC MUNDO ſimiles olivis.

424. Rom.11.v.24. Joh.15. v.2. *Chriſto velut viti & olivæ inſerti ſumus.* Electi ergò in Chriſto *pendent, jactantur*, vi vivæ olivæ, antequam *exprimantur & defluant:* Ita ut ſuccum interim *trahant* ex capite, Epheſ.22. v.1. *urantur* igni tribulationis, *jactentur* vento crucis, turbine tentationis, ventilabro & cribro Satanæ. Luc. 22. v.33. Tandem mortis *torculari comprimuntur*, in apothecam Dei *inferuntur*, nobiliſſimum triticum Matth.3.v.12.

## ELECTI CERTI.

425. *Pilati vox eſt: Quod ſcripſi, ſcripſi.* Homo fuit. Deus homo non eſt, ut mentiatur, pœniteat. 1.Sam.15.v.29. Num.23. v.19. Malach.3. v.6. Rom.3. v.4. quem ſemel ſcripſit in libro vitæ. Vide ſupra 420. nunquam delebit. Dona Dei ſunt ſine pœnitentia, Rom.11. v.29.

## ELECTI IN MUNDO A CHRIſto conſervantur.

426. Jerem.23.v.3. *Tranſibunt greges ad manum numerantis.* Grex *Domini electi ſunt.* Eſa.40.verſ.11. Mich.

Mich.7.v.14. Hi tranſibunt mundum, paſcente eos Chriſto, Joh.10.v.12. numerante ad manum ſuam, in qua ſuos ſignavit. Eſa.49,16. electos & oviculas.

## HOMINUM QUIDAM ELECTI, quidam reprobi.

427. Iſraëlitæ in *duas turmas diviſi: una in monte Garizin benedicebat, altera in monte Ebel maledicebat: Benedicentes electorum* imago; verè benedicti; Matth. 25.v.34. Epheſ.1.v.3. Maledicentes *reproborum* typus ſunt. Deut.27.v.11. verè maledicti, Deut.27.verſ.26. Matth.25.v.41. Sunt enim in hoc mundo, non ut agro fertili, ſed in *Ebal* ſtant, hoc eſt, acervo lapidum, verbo Dei in cordibus eorum lapideis exareſcente, Luc.8. v.6. *Benedicentes ſunt in monte Geriſim*, hoc eſt, ſciſſorum; carnis enim concupiſcentiam abſcindunt, Galat.5.verſ.24. à mundo abſciſſi crucifiguntur. Galat.6. v.14.

## REPROBORUM TYPUS Saul.

428. 1.Sam.13.v.13. *Rem ſacram Deo faciens Saul, à Samuele correctus eſt: Stultè, feciſti, &c.* Vox eadem Chriſti Salvatoris ad reprobos: Stultè feciſtis, ſapientiam ſpernendo, Prov.1.v.7. & 29. & mandata Domini negligendo. Hoc ſi non feciſſetis, *ego vos perpetuùm beâſſem; ſed noluiſtis* Matth.23.v.37. Prov.1.v.24. Eſa.65.v.12. Luc.12.v.48.

## ESAU ET JACOB.

429. 1. *Conjunctè ſunt electorum & reproborum typi.*

1. *Eſau* ſignificat negotioſum, operoſum, eximium: Ita reprobi ſub ſpecie hypocriſeωs in eccleſia habentur eximii; Deo verò ob incredulitatem præviſam reprobi, exoſi, Rom.11.v.7.ſeq.

2. *Jacob* ſignificat ſupplantatorem, fallentem: Ita pii & electi habentur in hoc mundo pro ſupplantatoribus, Confer. 1. Cor. 4. v. 9.

3. *Generatione:* Ex iisdem parentibus nati erant Eſau & Jacob, una eos mater pepererat, Rom. 9, 10. 11. Ita electi & reprobi communes habent parentes naturales. Actor. 17. v. 25. Communis pater ſpiritualis Deus eſt. Malach. 1. v. 6. Nonnunquam reproborum electorumque Eccleſia, mater eſt communis.

4. *Ex utero progreſſione:* Eſau primò natus, factus eſt in jure primogenituræ ultimus; Ita multi reprobi, qui erant Dei gratia primi, culpâ ſuâ fiunt noviſſimi. Matth. 19. v. 30. c. 20. v. 16.

5. *Habitu & colore.* Rubedinem & pilos in utero non depoſuit Eſau, Gen. 25. v. 25. Ita reprobi in utero Eccleſiæ formati, malitiam & ferociam animi non deponunt. Pſal. 58. v. 4.

6. *Vitæ genere.* Eſau factus eſt venator & agricola. Gen. 25, 27. Ita reprobis mundus hic patria eſt, quam incolunt, nihil niſi temporalia venantes, Pſal. 49. v. 12.

7. *Dilectione:* Iſaac Eſavum dilexit: Ita dilectione generali Deus etiam malos complectitur, toto mundo dans filium, Joh. 3. v. 16.

8. *Cibi, præ jure primogenituræ, dilectione.* d. l. v. 33. Ita reprobi flocci faciunt jus primogenituræ cœleſtis, ventri litant. Pſal. 49. v. 12. Phil. 3. v. 19.

9. *Parentis utriusq; contriſtatione.* Gen. 26. v. 34. Ita reprobi, ſpernentes dona ſpiritualia, triſtitiâ, afficiunt Spiritum Sanctum. Eph. 4. v. 30. & matrem Eccleſiam, fornicationi & profanitati ſpirituali ſervientes, ut Eſau. Hebr. 12. v. 16.

10. *Serâ pœnitentiâ.* Hebr. 12. v. 17. Ita nimis ſerò reprobi ſtultitiam agnoſcent. Sap. 5. v. 6. Apoc. 6, 16.



BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
gefördert durch Baden-Württemberg

Jacob autem electorum typus.

1. *Ipsâ electione* ſecundùm propoſitum Dei in Chriſto factum. Eph.1,4. 2. Theſſ.3,13.

2. *Variarum virtutum imagine*, ſimplicitatis vitæ generis, Gen.25.v.27. Eædem in piis, quibus in tabernaculo *eccleſiæ vivere*, *matri eccleſiæ*, dum impii temporalia ſectantur, *ſervire* nihil eſt dulcius.

3. *Sorte:* Jacob odio habitus à fratre, qui ei mortem intentavit: Ita pii in mundo odio habiti, mortis periculis quotidianis expoſiti. Pſal.44.v.23. Serviit Labano: Electi mundo vano. Rom.8.v.20.21.

4. *Liberatione & lætâ cataſtrophe*, Gen.32. (quando ex periculis liberatus Jacob & divitiis onuſtus in patriam reverſus eſt) Illa etiam electis in extremo judicio continget.

## CAUSA SALUTIS IN DEO ET CHRIſto unica eſt, damnationis nulla.

430. *Curavimus Babylonem & non eſt ſanata*, Jerem.51.v.9. Mundus verè Babylon, quam curavit curatque Deus, ſalutaria medicamenta monſtrando, vulnera oſtendendo, filium proprium pro illo vulnerando. 2.Cor.5.v.14. medicum ordinando Chriſtum ipſum, Matth.9.v.12. & miniſtros ejus, qui curarent lepram & ulcera ſpiritualia peccatorum. Sed non ſanata eſt Babylon mundi, ſpernens medicum, ejus miniſtros, medicamina: Tota ergò culpa mundo imputanda. Ergò derelinquit eum Dominus, quia genitorem ſuum dereliquit mundus. Deut.32. v.18. Jerem. 16. v.11.

## DEUS EST FIGULUS.

431. Ita ſæpè audit. Jerem.18.v.6. idque

1. *Ob effecta* 1. Figulus vas ineptum *confringit* : Ita Deus impios, quos monet, ut filium oſculentur, non parentes, conterit, Pſal.2.v.8. Eſa.30.v.14. Apoc.2. v.27.

2. Vas ſuum figulus *accuratè novit* : Ita Deus hominum actus, Eſa.29.v.15. fragilitatem Pſal.103.v.14.

3. Unô fractô vaſe, aliud *format:* Jerem.18.verſ.4. Ita impœnitentes frangi permittit : alios effringit. Jer.19.v.11.

2. *Ob objectum lutum :* Nos ſumus lutum, Eſa.64. v.8. Job.10.v.9. non debemus inſolenter efferri adverſus creatorem noſtrum. Eſa.45.v.9. Jerem.18.v.6. Conf. Eſa.10.v.15. Rom.9.v.20. Lutum infirmum quid; Dan.2.v.43. Ita nos.

3. *Ob domum & officinam.* Jerem.18.v.2. Hæc eſt Eccleſia.

4. *Ob rotam & formas :* Jer.18.v.3. Hæ ſunt miniſterium, quô Chriſtus in nobis formatur, Gal.4,19. Hanc rotam Spiritus Sanctus circumgyrat, animatq;. Conf. Ezech.1. viſionem.

5. *Ob vaſa varia.* Ita Deus habet vaſa varia.

1. In honorem, 2.Tim.2.v.20.

2. Iræ, (quæ ipſe non fecit, ea tulit in patientia, quia iræ ſunt, ira autem culpam hoſtilem præſupponit, Rom.1.v.18. Vide D. Fulgentium lib.1. ad Mon. pag.60.61. contra tenebras Calviniſtici decreti. D. Auguſt. in expoſ. brev. Epiſt. ad Roman. Tom.4. fol.1203.) Eſa.13.v.5. Rom.9.v.21.

3. Aurea 2.Tim.2.v.20.

CA-